


d. 1250









DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
 EXHIBENS  
**PRINCIPIA**  
 AD  
**MODVM OPERANDI**  
 MEDICAMENTORVM INTELLIGENDVM.

---

QVAM  
 FAVENTE DEO  
 CONSENTIENTE FACVLTA TE MEDICA  
 PRAESIDE

*VIRO MAGNIFICO, ILLUSTR I, EXPERIENTISSIMO*  
**DN. IOANNE IVNCKERO**

MEDICIN. PROF. PVBL. ORD. MEDICO PAEDAGOGII REGII  
 ET ORPHANOTROPHAEI HALENSIS CELEBERRIMO  
 H. T. FRIDERICIANAE PRORECTORE

**PRO DOCTORIS GRADV**

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
 D. XII. APRIL. MDCCLVI.

PLACIDAE ERVDITORVM DISQV ISSIONI SVEMITTIT  
**GOTTHILFF PETRVS AVGVSTVS LYSTHENIVS**  
 BVRGENSIS MAGDEBVRGICVS.




HALAE MAGDEBVRGICAE,  
 TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR,











DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
EXHIBENS  
P R I N C I P I A  
AD  
MODVM OPERANDI MEDICAMENTO-  
RVM INTELLIGENDVM.

---



PRAEFATIO.

*Non exiguus omnino Medicorum depre-  
henditur numerus, qui medicamen-  
torum operationem explicare et ex  
abditis quasi latebris eruere conati  
sunt; siquidem luculenta de modo  
operandi scripta in omnium versan-  
tur manibus. Plura eorum (si fa-  
teri*



*teri licet vera) speculationibus magis et fictis hypothesibus, quam veritati superstructa sunt, alia obseruantur incompleta; non nulla vero veritates factorum quidem ex genuina theoria deducunt, sed prolixius sunt conscripta, quam ut utiliter legi possint: vnde lectores suos per ambages ad cognitionem aliquam ducunt; quibus carere et multo breuiore via eam sibi comparare possent. Itaque si quis medicamentorum modum operandi compendiose addiscere cupit, ille opus habet certis principiis, ad explicationem sufficientibus; ex illis enim proprio quasi ingenio omnia, quae sunt necessaria, diiudicare poterit. Quumque, secundum HIPPOCRATEM ad THESSALVM, praeclara res sit, tale in nisterium in medicina habere, quod partes intentionis ac remissionis, cum ex parte inaequales fuerint, facile cognoscibiles exhibet citra errorem, tum non incassum laborabimus, si ea, quae ad intelligendam medicamentorum operationem faciunt, ad certa principia reducimus et succincto ordine proponimus. Saltem sperare licebit, quod hic exercitationis labor non iniucundus euadat commilitonibus meis; quippe qui hac sciagraphia instructi, leuiore opera doctrinam de modo operandi remediorum percipient, et meliore cum fructu deinde scripta magis prolixa legent, fictiones atque specu-*



*speculationes a veris explicationibus distinguere poterunt, omnesque scopulos feliciter euitabunt. Haec est instituti ratio, cui B. L. ut faueat, humaniter rogo: supplici autem voce benignissimum DEVM imploro, ut hos qualescunque conatus felices esse iubeat.*



## §. I.

*omnis in corpore mutatio, quae acceptum medicamentum consequitur, illius operatio dicitur. Caueat autem Medicus, ne his mutationibus illas adnumeret, quae casu fortuito concurrunt, quaeque ab aegrotantibus pro effectu medicamenti non raro habentur, licet ab accepto medicamento neutiquam originem habeant; quae enim sub vsu contingunt, sollicitè discernere debemus ab iis, quae ab vsu medicamenti dependent.*

## §. II.

*Rationes sufficientes, ex quibus mutationes in corpore post accepta medicamenta deduci possunt, sunt principia, ad modum operandi medicamentorum intelligendum; quae itaque rationes nunc erunt euoluendae.*

## §. III.

*Haec autem ratio sufficiens mutationis in corpore vel in solo medicamento erit, vel in alio ente simul. Si prius verum est, nulla mutatio, nisi ex medicamento, qua tali, explicabilis, obueniet. Valebit tunc perpetuo lex ex natura medicamenti essentialis, nimirum, quod medicamentum, eadem dosi datum, effectum exhibeat vi suae propriae respondentem, eumque vbique similem semper absolutum.*



Effectus enim suis viribus respondere et eadem causae eundem effectum praestare debent. Verum enim vero certa fide constat, hanc legem sub qualibet medicamentorum operatione infringi; quam quidem experientiam cumulo exemplorum certiore reddere possemus, at cum ad argumentationem per instantiam, vnica quoque instantia sufficiat, tum duo tantummodo in medium proferam exempla, et quidem talia, quae neminem fugere possunt. In conatibus emeticis ventriculus eleuat columnam aquae ad altitudinem duorum fere pedum; haec vis aequalis est ponderi columnae aquae XXX. lib. ab eadem altitudine delapsae. Nemo sane hic sibi persuadere poterit, quod pauca grana remedii emetici tanta vi gaudeant; ergo emeticorum operatio a mechanica virium propriarum proportione est remotissima. Si homini robusto laxans cum effectu *catharico* propinatur, illud ipsum tenero subiecto *hyperemesin* efficiet, et cacochymico aliquando febrem excitabit. Nihil sane magis sibi dissimile est, quam hic suppositus similis absolutus effectus medicamenti. Quare cum appareat, obuenire mutationes, quae legi essentiali, secundum quam medicamenta, sibi relicta, agere debent, contrariae sunt; nemo dubitabit, easa *solis* medicamenti minime deduci posse, sed valere posterius membrum propositionis disiunctivae, nimirum ad aliud ens, has mutationes simul efficiens, esse respiciendum. Nam secundum notiones, quas nobis sapientia diuina voluit largiri, non possumus effectum causae cuidam effectui multo minori tribuere; alias pars huius effectus a nulla causa proveniret; id quod absurdum. Quaerere itaque debemus alterum illud ens, quod reliqui effectus causam suppeditat. Atque hoc nullum aliud esse potest, quam quod corpus *vivum* reddit; quia praeter illud sub operatione nullum ens

con-



concurrit. In corpus enim medicamentum recipitur, et pro corporis illiusque actionum indole haec receptio contingit: vnde intelligimus Medicorum eloquium, quod nimirum medicamenta agant *receptione* sui.

§. IV.

Sequitur itaque ex paragrapho antecedente, omnem mutationem post acceptum medicamentum vel ex viribus medicamenti ipsius, vel ex viribus corporis viui esse deducendam. Haec duo generalia sunt principia, ex quibus modus operandi medicamentorum explicari debet; quae deinde in plura alia principia erunt resoluenda. Interim curatius adhuc haec duo principia determinanda sunt. Per *primum*, nimirum per vires medicamenti ipsius, putamus illam medicamenti *virtutem, quam illud ab ingredientium principis seu partibus sui constituentibus habet*; quam *actionem* adpellamus *physicam* seu *mechanicam*; quia ex viribus physicis et mechanicis ortum trahit. Sub *secundo* autem principio, quo corporis viui vires concurrere et mutationes producere iudicamus, intelligimus *omne id, quod vel ex indole partium, vel ex natura motuum in corpore viuo, acceptum medicamentum sequitur, mutationemque profert*, et hanc *actionem* vocamus *vitam* seu *medicam*; quippe quae non nisi vita praesente obseruatur, et a Medicis praesertim consideranda est: effectus enim physicus per se nondum salutaris est, sed in medicum seu salubrem dirigi debet. Quam differentiam insignem auctores non pauci inculcant: e. g. BOERHAVE *Orat. 1. p. 112.* eloquitur: *Vnus ille de viribus medicamentorum apte dixerit, qui mutatam ab illis naturam et mutantem alia, obseruauit caute. Ope horum adiuta natura morbos sanat immedicabiles.* FRID. HOFFMANNVS inquit: *Non minima est prudentia distinguere effe-*



*effectus remediorum ab effectibus solius naturae. Etenim in morbo non tantum medicamenta agunt, sed et natura ipsa.* DN. PRAESES *Therap. gen. pag. 351. n. 3. 5.*

§. V.

*Vtraque vero haec actio in omni operatione simul deprehenditur; licet vitalis, actioni physicae non nunquam dissimilis, graduque admodum et indole diuersa obseruatur.* Quod axioma tamquam tertium principium generale asserere possumus, quia in omni operatione diiudicanda illud probe animaduertere debemus. Exhibito enim medicamento, tanquam causa, actio physica, utpote effectus, et quidem omni ex parte causae similis, nunquam deesse potest, sed potius totius operationis primum fundamentum est. Ast quando sympathetica consideramus, illa sine actione physica agere dicuntur, et operationes medicamentis dissimiles obuenerunt obseruantur; id quod ipse §. III. indicaui? Sed respondeo, sympathetica agere vel per sensationem in corpus, quae non curate cognita est, adeoque sensum faciendo, actionem *physicam* omnino proficere; vel per modum plane incognitum; ex qua incognita re nulla contra nostram adfertionem valet instantia. Mutationes quidem frequenter obueniunt, quae ipsi medicamento dissimiles sunt, illae autem non ab actione *physica*, sed *vitali* dependent, et nihilo secius medicamenta, sub illis dissimilibus mutationibus, suam propriam actionem physicam, indoli suae plane adaequatam, praestant. Actio etiam *vitalis* nunquam in totum deficit, comprehendi enim haud potest, fieri posse, ut medicamentum, corpus ingrediens, aliqualem saltem mutationem consequentem non habeat. Nemo hic *temperantia* aliaque motus impediencia opponere et concludere poterit, haec potius actionem infringere, quam promouere; neutiquam



quam enim intelligimus per consequentem actionem *vitam* augmentum motuum, sed secundum §. IV. mutationem qualemcunque in corpore viuo contingentem, siue motus augeantur, siue impediuntur; sicuti etiam de *anodynis* dicimus, illa *operari*, quamquam *Tò operari* alias proprie motum indicet, verba etenim valent vt nummi. Eandem porro actionem *vitam* non numquam *physicae* dissimilem fieri, inde quilibet facillime intelliget, quia actio vitalis paulisper tantummodo a *physica* determinatur, ceteroquin autem ipsis corporis viribus, actioni *physicae* centies maioribus, fundatur, adeo vt haec determinatio perdatur plane et non in sensu cadat. Quando enim hae duae actiones, *physica* et *vitalis*, consentiunt exacte, magna et euidentis est medicamenti operatio; sin minus concurrant, debilior obseruatur; si *vitalis* magna, *physicae* contraria, datur, mutatio proprietati medicamenti dissimilis euenit, et si minima *vitalis* repugnat *physicae*, adeo vt non in sensu cadat, medicamentum nihil fecisse manifestatur. Quod autem actio *vitalis* diuerso obuenit *gradu*; id status corporum diuersus morbosus efficit. Nihil hic loci de differentia ipsorum *subiectorum* addam.

§. VI.

His praemissis, ad vberiore duorum priorum principiorum euolutionem accedendo, primum de *physica* actione cognoscenda dicam, deinde corpus *viuum*, quatenus cum praecedente actione *physica* concurrat, actionemque exhibet consequentem *vitam* inquiram. Tertium autem principium nulla vltiori explicatione opus habet, sed modo in omni operatione diiudicanda adhibendum erit.

§. VII.

Inquirenda itaque erit, *primo*, *actio physica*. Quae cum medicamentorum principiis constitutiuis, eorumque

B

com-



compositione nititur §. IV. inde quoque eam deriuare debemus. Quamquam vero haec principia magna ex parte cognita sunt; tamen vberiore eorum indagacionem adhuc in votis habemus. Magnificum enim opus esset, si singula subiecta per sufficientia experimenta inquirantur, sed arduus labor est, qui tempus sumptus, multam operam et iudiciosum experimentatorem exoptat. *Conf. Illustr. BÜCHNERI dissertatio, sistens cautelas quasdam circa chemicam remedium explorationem obseruandas.* Proponimus interim quaedam, quae ad intelligendam actionem physicam ex principiis, quatenus cognita sunt, valent, et eum in finem frequentia duo commendamus fundamenta.

## §. VIII.

Respicendum est *primo ad vim medicamenti unicam, utpote rationem actionis physicae inde ortae simplicis, eaque rite erit determinanda.* A simplicibus vero ad magis composita tutius progredi licet, quam si ex compositis simplicia inquirere vellemus. Hic ex physicis et chemicis supponimus, quod omne corpusculum, ex certis specie et numero determinatis minoribus constans corpusculis, certa vi deriuatua polleat, quippe quae resultat ex compositione et modificatione mutua virium respectiue primitiuarum, quibus minora componentia praedita sunt. Actio huius vis porro determinatur per magnitudinem et figuram corpusculi cuiusuis in relatione ad vim, magnitudinem, figuram et hinc dependentem resistantiam et mobilitatem illius, in quod agit. Progreditur haec lex vsque ad principia omnium prima, ex quibus omnia corpora oriuntur et componuntur. Interim huius loci non est, analytin naturae eo vsque profsequi, nec haecenus id in potestate naturae scrutatorum fuisse in propatulo est. Propius tamen ad scopum nostrum accessuri obserua-

ferua-



*Exhibens Principia ad modum operandi etc.* II

feruamus, quod omnia medicamenta reduci possint ad quatuor species partium constitutiuarum, nimirum salinas, sulphureas, terreas et aquosas, quae hinc illorum principia proxima dici possunt. Medicamentum ex vnico horum principiorum constans, vnicam vim et actionem habet; ex pluribus autem compositum, intuitu virium non vno modo se habet. Si enim diuersa principia veram mixtionem iniuerunt, principia in mixto stant pro vno et vnicam sistunt vim; si autem laxè diuersa principia cohaerent, exhibent vires et actiones compositas, vbi cognitis simplicibus ad compositas concludere poterimus. Ostendit vero experientia vires et actiones simplices sequentes. Agentia vi principii

- 1) salini acidi magis puri, arrodunt: septica.
- 2) - aciduli dulcificati, temperant, refrigerant: succus citri, Spirit. nitr. dulc.
- 3) - sulphurei volatilis, calefaciunt, penetrant: essent. zingib. angelic. resinae,
- 4) - alcalini puri, resoluunt,
- 5) - alcalini sulphurei, abstergunt, discutunt: essent. gent. rubr.
- 6) - alcalini acrioris, incidunt, stimulant: essent. ari. pimpinell. alb. rad. squillae,
- 7) - medii seu neutri, incidunt et incitant,
- 8) sulphurei magis puri, commouent, camphora, olea destillata,
- 9) - blandi, temperati, obtundunt, demulcent: balsa. ma, mel.
- 10) - vaporosi, expandunt: poeonia, hyoscyamus, opium,
- 11) terrei magis puri, incrassant, exsiccant, absorbent: terrae sigillatae, margae, ostracodermata,
- 12) - acidi et metallici, adstringunt: ochrae,

B 2

13) aquo-



- 13) aquosi, diluunt, humectant,  
 14) - terrei et sulphurei, emolliunt, relaxant, inuolunt, inuiscant, combinant, conglutinant, inspissant: rad. altheae, liquirit. gelatinae, gummata, aliaque viscosa dulcia.

## §. IX.

Commode tamen et solide enumeratae actiones ad quatuor reduci possunt, si nimirum actionum gradus diuersos omittimus. Hae erunt 1) *Constrictio fibrarum* per incitationem, stimulationem, gradu diuersam. 2) *Relaxatio fibrarum* per emollientia, humectantia, demulcentia. 3) *Resolutio partium fluidarum*, si earum partes calefiunt, commouentur, inciduntur, penetrantur, diluuntur, absterguntur et expanduntur. 4) *Incrassatio partium fluidarum*, dum eas dulces reddimus, obtundimus, absorbemus, inuoluimus, inuiscamus, temperamus et refrigeramus. Quae quatuor actionum species ex quatuor principiorum speciebus §. VIII. erunt deducendae; principia autem diuersa, vere mixta, has actiones gradu diuersas exhibent. *Confr. Cel. BOERHAVII tractatus de viribus medicamentorum.*

## §. X.

Supposita vi principiorum, *secundo ad modum, per quem physicam actionem producant, attendendum erit; eum autem ex adhaesione et motu explicandum esse iudicamus* Nulla enim actio et hinc dependens mutatio euenire potest sine cohaesione; nulla cohaesio adesse potest sine contactu. Iam concurrant duo corpuscula, quocumque id fiat casu, in contactum mutuum, alia cohaerebunt, et quasi in unitatem coibunt mox firmiorem, mox laxiorem; alia autem plane non cohaerebunt. Vnde haec diuersitas? Generali aliqua nozione hanc rationem ponere possumus in affinitate

tate



tate seu similitudine et dissimilitudine particularum, quam specialius explicaturi referimus ad plura momenta. Quaecumque eiusdem speciei sunt particulae, magis inter se conueniunt, quam ea, quae diuersarum sunt specierum. Datur enim in diuersis compositis pro diuersitate particularum componentium, si vtraque ex parte, vel plures vel pauciores particulae eiusdem speciei adsint, maior et minor affinitas. Haec conuenientia materialis particularum arctioris vel laxioris cohaesionis rationem vtiq̄ue, si non totalem et plenam, tamen aliqualem in se continet. Plura autem huc pertinent. Externa nempe vtriusque figura non est negligenda; quae particulas ad maiorem cohaesionem mutuam reddit magis vel minus aptas. Fatentur autem omnes cordati naturae scrutatores, quod certae et determinatae figurae cuius speciei corpusculorum propriae, propter stupendam eorum exiguitatem, a nobis distincte cognosci nequeant. Cohaerentia praeterea oportet, quam diu cohaerent, communi gaudere motu, ad minimum ad eundem esse apta; vbi necessario vis motrix et mobilitas vtriusque concurrunt. Mobilitas equidem ex parte cognosci potest, sed vis motricis explicatio inter physicos adhuc versatur sub lite. Hinc mobilitatem et vim motricem particularum quidem largimur, sed in explicacione attendimus potius affinitatem materialem, quae vtiq̄ue magis pater.

§. XI.

Nullum medicamentum vi sua in corpus agere poterit, quod non cum partibus corporis cohaereat: et quia haec cohaesio similitudine materiali nititur, hinc dubium aliquod oriri poterit ex actione medicamenti medicamentosa. Videri posset ac si accessu et augmento similis materiae materia peccans augeretur, quod scopo medicamenti plane



contrarium esset. Sed si distincte consideramus, in genere ad adhaesionem medicamenti et materiae peccantis neutiquam requiri perfectam et omnimodam similitudinem, dubium hoc euanescet. Accedit et haec consideratio, quod particulae medicamenti cum particulis corporis et in specie materiae peccantis cohaerentes non amplius semper agant propria vi sua sola, sed vi composita ex sua propria et ea, quae particulis corporis et materiae peccantis est propria. Hinc facile patet, quod materia peccans propter cohaesionem cum medicamento non necessario augeatur, licet id contingere possit incongruis medicamentis intempestive adhibitis.

## §. XII.

Illustrabimus thesin nostram §. X. et resolutionem dubii §. XI. exemplis quibusdam, quae nobis occurrunt, scriptum aliquod perlustrantibus, quod ea ipsa ex alio plane fundamento declarat. Resinae propter principium, quo pollent, inflammabile, ab aqua non solvuntur, sed a spirituosius, oleosis, saponaceis, quae propter affinitatem partium constitutivarum illis adhaerent. Gummata vero, propter aequum principium abundans, aqueis solvuntur, spirituosius et oleosis minus obediunt. Salia propter aquam in eorum mixtione contentam et ad contactum aliarum particularum aquarem dispositam in aqua solvuntur. Alia fixa salia vniione inflammabilis, terrae et acidi vegetabilis, vi ignis facta constant. Hinc ex vno latere pinguedini et oleis, immo spiritui vini obediunt, ex altero aquam non refugunt. Hinc ea ipsa intermedia euadunt longe diuersissima inter se vniendi, atque insigni vi pollent resoluendi et abstergendi. Aqua pluuiialis subtili pinguedine praedita saponem soluit facillime, quem aquae subterraneae acido crasso  
et



et terra calcarea praegnantēs, in grumos coagulant. Acidum coit cum alcali et conuertitur in sal medium.

§. XIII.

Mutatio ex mutua actione atque reactione corpusculorum resultans dicitur actio physica. Iam licet hae operationes in specialibus et indiuidualibus circumstantiis videantur infinitis modis differre, et reuera multum differant; tamen ad binarium numerum summopere omnes ac singulae reduci possunt et debent. Sunt haec in chemia maxime decantata *syncripsis et diacrisis*. Vtraque autem suum habet respectum vel ad mixtum vel ad aggregatum.

§. XIV.

Videntur quidem et reuera sunt diuersa immo opposita *syncripsis* atque *diacrisis*, arctissimo tamen nexu iunguntur, ita vt vix concipere liceat vnam, vbi non altera simul contingat. Interim tamen a priori actu et finali respectu denominationem fieri aut saltem fieri debere quilibet concedet. Multa hic specialia de syncrиси et diacrisi afferri potuissent vtilissima, nisi oria hic mihi fecisset Magnificus D. D. PRAESES in *Conspectu Chemiae* integra Tabula quinta eaque satis prolixa.

§. XV.

Omittimus nunc actionem, quae solo impulsu et propter magnam grauitatem specificam perficitur sine notabili cohaesione cum partibus et particulis corporis humani, qualis occurrit in mercurii viui insigni quantitate deglutita, et ad reliquas proprie medicamentoſas operationes attendimus. In omnibus his primo loco semper occurrit syncripsis particularum medicamenti cum fluidorum corporis humani particulis. Hanc autem porro inſequitur vel vltior syncripsis particularum fluidi tenuis, quae dicitur *incrassatio*, vel  
dia-



diacrisis particularum fluidi spissi, quae, si aggregationem respicit, dicitur *attenuatio*, si ipsam mixtionem aggreditur, dicitur *resolutio*. Medicamenta agunt in partes solidas, et in illis efficiunt vel aliquam diacrisin partium eas *relaxando*, vel plenariam resolutionem et separationem eas *corrodendo*; vel laxius cohaerentium partium propiorem ad se inuicem accessum atque maiorem cohaesionem eas *constringendo*. Sufficiant haec dicta de modo, quo principia actiones physicas exserunt. Imprimis quum medicus, qua medicus, hunc modum actionis physicae non curet; ille enim acquiescere potest in experientia, quod certa principia certas producant actiones. §. VIII.

## §. XVI.

Progredimur *secundo ad actionem vitalem seu medicam eruendam*. Haec *ex viribus corporis vini* explicanda est, et *omne id, quod vel ex indole partium, vel ex natura motuum actionem physicam sequitur*, comprehendit. §. IV. Nemo non inde videt, respiciendum esse ad mutationes, quae, *primo ex indole partium, secundo natura motuum*, actionem physicam sequuntur. Quamquam autem has duas rationes, actionem medicam efficientes, quas statim in plura principia diuidemus, in explicatione distinguimus, tamen in adplicatione ad obuenientem *actionem medicam* semper erunt coniungendae.

## §. XVII.

*Partium indoles*, quam *primo* indagamus, diuerso respectu erit diiudicanda, et quidem 1) intuitu *constitutionis earum physiologicae*, qua acceptam actionem paullulum continuant: ita enim fluidae partes proprio motu intestino factam in illis mutationem propagant; solidae autem vi sua  
con-



contractili innata actionem nonnihil partibus adiacentibus communicant, quod imprimis in partibus summa irritabilitate praeditis obseruatur. Quorsum etiam viarum dispositionem refero, quae quorundam medicamentorum actionem medicam arcer, aliorumque impedit. 2) Intuitu *partium conditionis morbosae*: hanc enim semper supponere debemus; sine vitio enim partium fluidarum et solidarum nulla alteratio, relaxatio et constrictio locum habet. Et haec consideratio specialissimas quoque actionum medicarum appellationes determinat, licet ipsas actiones non exhauriat, e. g. humores in parte occulte et plenarie stagnantes *maturantium*, aperte vero in parte obuientes *digestiuorum*, praesens serum vaporosum *ruclatoriorum*, *carminatiuorum* et *flatulentorum* appellationes exhibent; quae etiam deinde vltior actio medica ipsum laborem absoluat nomenque fortiatur. 3) Intuitu *adfinitatis partium cum corpusculis in illas agentibus*. Hinc etiam oritur notio *specificorum*; quatenus illa in materias agunt. Medicamenta enim ex adfinitate materiali, alia agunt in sanguinem, alia in lympham, alia in serum, alia in alios humores: vnde *antiscorbutica*, *lympham corrigentia*, *hydragoga*, *pblegmagoga*, *cholagoga* etc. alia in caput, alia in cor, alia in hepar, alia in stomachum, alia in vterum etc. hinc *cephalica*, *cardiaca*, *hepatica*, *stomachica*, *uterina* etc. Quamquam enim haec adfinitas totam actionem non exhaurit, tamen dererminat, cur potius in hanc, quam aliam partem actio fiat.

§. XVIII.

Secundo attendimus ad motus, qui omnium maximas actionem physicam consequentes medicas actiones proferunt. Placuit enim benignissimo CREATORI dispendium virium corpori assignare, vt machinae obtineret compen-



pendium, motusque celeritatem et efficaciam. *Conf. Illustris de HALLER Physiolog. §. 415.* Non opus quidem est ad hunc nostrum scopum, harum virium causam prolixius ostendere; sed non dissimulo meam sententiam, qua nimirum statuo, omnem motum localem primitivum in corpore ab anima, utpote motore, provenire. Hoc enim mihi suadet recentior philosophia, de existentia simplicium ex effectu cognoscibilem et corporibus per se quiescentibus differens; praesertim doctrina mechanica, quae ad omnem actionem explicandam vim aliquam supponit. Accedo autem ad *motus ipsos, et primo de motu progressivo et intestino, deinde autem de motu partium solidarum tonico-vitali* differam: quatenus nimirum hi motus actiones physicas sequuntur, medicasque proferunt.

## §. XIX.

Ad *motum progressivum et intestinum* iterum et primum quidem accedimus, considerando, quantum hi ad *actionem medicam* conferant. Existimamus autem, hosce motus actiones medicamentorum in partibus fluidis promoveri. Ad fluidas partes enim quod attinet, mixtio illarum et aggregatio per remedia alteratur; et quidem vel dissolutione principiorum et interpositione aliarum partium tenuiorum, vel admixtione partium crassiorum. Pertinent huic *resolventia et incrassantia* §. XV. Vtrarumque autem actionum initium fit a motu intestino; resolventia enim partes fluidarum dissolvunt, unde earum motus intestinus augetur, adeo, ut orgasmo inde concitato, maius occupent spatium et vasâ sua plus solito distendant horumque maiorem reactionem incitent, et hinc demum celeriori circulationi ansam exhibent: incrassantia autem modo plane contrario agunt, quia tardiozem motum intestinum et hinc etiam progressivum inducunt.



ducunt. Ex his duabus actionibus omnis humorum *alteratio* deduci potest; quam autem explicationem, cum principia tantummodo exhibeo, silentio praetereo. *Conf. Dni. PRAESIDIS Therap. gener. Tab. XII. de alteratione generatim, praecipue num. 4.* Neque silentio praetereundum est, has *alterationes* tanquam actus, *euacuationes* praecedentes easque concomitantes esse respiciendas. Sic e. g. salivationi, expectorationi, diuresi, antecedunt *alterationes*. Quum autem hae *alterationes* actiones *uacuatorias* solum praestare nequeant, quia ad eas quoque actiones tonicae requiruntur, tum illas subsequenti explicationi referuamus. Quamuis vero sola *diaphoresis* alteratione fieri videatur; partes enim sanguinis magis resolutae atque commotae maiorem feri suppeditant se- et excretionem; nec negemus, transpirationem insensibilem sola fluidarum partium *alteratione* augeri: certum tamen est, quod ad completam diaphoresin relaxatio tonica in peripheria requiratur. Praeterea etiam notandam est, quod diuersa in, diuersis visceribus circulatio et inde dependens diuersus motus intestinus diuersam quoque actionem medicam producere possit: quae diuersitas non nihil forsitan ad explicandam operationem medicamentorum in certa viscera facit. §. XVI. n. 3.

§. XX.

*Secundo* insignes *actiones medicas* merito *ex motu tonico-vitali*, actionem physicam vel consequente, vel deficiente, deriuamus. Administratur autem hic motus ab anima per liquidum nerueum in partibus solidis, neruis gaudentibus, et secundum legem *idearum* et *sensationum* tam instituitur, quam etiam omittitur.



## §. XXI.

*Idearum* solum ad normam liquidum nerueum saepius moueri, et mutationes operationibus medicamentorum similes producere constat. Malo autem in descriptione harum mutationum, ideas consequentium, celeberrimi BOERHAVII potius, quam meis vti verbis: Solo, inquit, motu spirituum animalium mutato, absque vlla impressione a corpore vel externo vel interno, contactus ope, communicata, oriri possunt omnes effectus, quos in re medica quilibet medicamento adscribere potest. Ponamus enim hominem, caeteroquin sanum, irritationi generis neruosi, siue passioni hystericae obnoxium; huic in beatiore sanitate detur occasio irae, metus, tristitiae, summa statim oritur mutatio in eius statu; nam quod ante per poros cutis ad pondus circiter V. libr. horarum 24. spatio, perspirare solebat, iam mutato cursu per renes VI. vel VII. libr. intra 24. horas excernetur; quin etiam turbantur vasa traiectoria, secretoria et excretoria; quis iam nouit aliquod diureticum, quod tantis polleat viribus? praeterea liquor modo dictus excretus, non est vrina, sed mera lymphae, sale, spiritu, odore et colore vrinae in corpore pene relictis; pari ratione homines nonnunquam in diarrhoeas ex metu coniciuntur, vnde meticulosi cacatores sunt et appellantur. Ex ira quoque magna copia bilis nonnunquam reicitur. Sudores ex metu non raro oriuntur, vomitus in hominibus excitatur ab obiecti nauseabundi aspectu, vel fabulae nauseabundae narratione; his primo oritur ructus, deinde nausea, salinae expressio, conuulsio ventriculi, vomitus, et nonnunquam alui, sudorisque excretio. Quaecumque etiam post ideas sequuntur actiones, eas eatenus tantummodo hic consideramus, quatenus actionem vitalem a phy-



a physica dissimilem explicant. Contingente enim operatione a medicamento aliena concludere possumus, actionem medicam secundum aliquam ideam, et non ad indolem actionis physicae factam esse; id quod minus raro accidit, ac proinde mirari haud debemus: imaginatio enim admodum varia inter se coniungit; e.g. sopientia exhilarant, diaphoretica laxant, adstringentia enormes motus producant. Sed interdum operatio, a medicamento dissimilis, aegrotanti prodest, si nimirum incongruum medicamentum adhibitum fuerit. Plus sane valet explicatio actionum secundum obuenientem ideam, quam false supposita corporis idio-syncretasia: experientia enim constat, quod continuato usu medicamenti actio dissimilis pereat, similisque medicamento proueniat. Mirtimus vero has actiones medicas, quas merito *extraordinarias* vocamus.

§. XXII.

Denique accedimus ad motum *sensationem* consequentem. Nemo dubitabit, quod medicamenta, in corpus agentia, in obuenientibus neruis mutationes producant, quarum ope anima vires medicamentorum cognoscit, et secundum diuersam hanc sensationem, seu, si mauius, *sensum vitalem*, motus tonicus vel instituitur, vel omittatur. Positam hinc obseruamus legem, quod exhibitis vel *constringentibus* vel *relaxantibus* §. XV. actio medica per motum tonicum vel fiat, vel deficiat: vtrasque hinc inde ortas actiones consideramus.

§. XXIII.

Itaque post *constrictiones* et *stimulationes* fiunt actiones tonicae, et sequentes inde deducimus actiones medicas. Huc pertinent



1) *Vulneraria, sistentia et repellentia*, quippe quae in loco, quo agunt, veram fibrarum constrictionem efficiunt, cui vis tonica succedit, et operationem absoluit. Ita operantur haemorrhagias sistentia, lactifuga.

2) *Tonica, roborantia*, quae tantummodo in ventriculo constrictionem fibrarum praestant, quam sequitur tonica actio vniuersalis, robur corpori concilians.

3) *Medicamenta vacuantia*, nimirum *emetica, cathartica, sternutatoria, apoplegmatisantia, expectorantia, tussiculosa, singultuosa, saluantia, diuretica, emmenagoga, haemorrhoidalia, abortiua et expellentia* res toto genere praeternaturales. Quae quidem omnia constrictiones in certis corporis partibus producant, sed actionem subsequenter tonicam requirunt, quae ipsam vacuationem absoluere debet. Sub hac sensatione principium vitale quidem vim medicamenti percipit, sed secundum necessitatem corporis actionem instituit. Quod eo facilius comprehendi potest, si ea, quae §pho XXI. dicta sunt, in memoriam reuocamus, et simul consideramus, quod sponte natura etiam parentur viae, vbi nullae antea fuerunt. Obseruat sub his vacuationibus principium vitale duplicem rationem; primo nempe determinatam sensationem medicamentorum agentium attendit, ex qua etiam *specificorum* in motus agentium actio dependet, *conf. Dni PRAESIDIS Therap. Gen. p. 503. n. 1.* deinde sensationem, a materia praesente morbosa profleiscentem, obseruat, hasque duas sensationes coniungit, et motum vacuantem, huic complicationi respondentem, instituit. Quod assertum iam HIPPOCRATES inculcauit, inquit: *Natura sibi vias inuenit ad vacuandum et, licet sine doctore, ea, quae opus sunt, efficit.* Testatur quoque hoc BOERHAVEN differens: *In sanandis tandem mor-*



morbis principatum obtinet natura: - - - vix alteri quid natum in vivente vel aliunde susceptum, ut arsenicum, quae molimina vomitoria? ut noxium expellat, quae excitationes humorum? ut diluat, abluat, detergat, leniat, etc. Conf. Excellentissimus EBERHARD Tractatu Gedanken von der Wirkung der Arzneymittel im menschlichen Leibe überhaupt p. 193. et seqq. Denique verba Domini BOISSIER adducimus, dissertatione de medicamentis, quae certas quasdam partes corporis humani prae aliis afficiunt, atque de causa huius effectus, (haec autem dissertatio praemium reportavit ab Academia Reg. lit. lib. scient. et art. Burdegalensi) §. XXVI. leguntur et sic se habent: *Novi consuetudinem esse, quod omnes hi effectus mechanice, ut dicunt, explicantur et quod supponantur filamenta nervorum in hominibus sensibilibus liberiora magisque tensa ab iisdem medicaminibus ad vibrationes frequentiores cogi, cum in his ad altiore tonum expansa deprehendantur. Sed hoc non explicat, cur inde effectus maior exsurgerit, vel cur ventriculus sensibilibus subversionem medicamentis hisce causam porrigitibus patiat. Chordam magis tensam et duplo teneriorem altera, eodem corpore fibratam altiore tonum edere, confiteor. Sed an illa recipit maiorem motus quantitatem? Hoc contrarium legibus Mechanicis foret. Et porro an vibratio nervorum fibras musculares ad contractionem deducit? Nonne contractio musculorum contingit, dum se corrugant vel complicant? Tensio non producit corrugationem, sed huic potius resistit. Ad Naturam igitur refugiendum est, quae ob tensionem maiorem proportionatos effectus sortitur, ut haec pharmaca, quae irritando agunt, vomitu eiiciantur. Hoc de reliquis etiam valet vacuationibus, sicuti ille ipse Auctor §.*

XXVII.



XXVII. XXVIII. XXIX. hanc veritatem exemplo sternutatoriorum medicaminum, clariorem exposuit.

4) *Exbilarantia* et *analeptica*, quae sunt medicamenta, blandissimo stimulo, gratissimam inducentia sensationem, adeo, ut vigor motuum hanc sequatur naturaliter interdum maior. Evidens tantummodo exemplum (utpote lectori non iniucundum) ex *Amoenitatibus exoticis* KAEMPFERI proferam. Hic cum suis sociis usus est bolo inebriantis electuarii, huiusque effectus *Fasc. III. p. 652.* ita describit: *Quid sit? Perfusi et repleti sumus, quotquot Nepenthe lactati, gaudio quodam inexplicabili, quali me nunquam in vita adfectum memini. Nec aliud toxico illo delibutis licuit, quam amplexus miscere, loqui parcissime, arrideri a loquentibus et cachinnis se inuicem lacescere. Soluta sub noctem conuiuio. ubi equos conscenderamus, virtus phormaci, quasi mutata scena, alia cerebris nostris creauit phantasmata. Haud enim aliter visi nobis fuimus, quam cum Pegaso volatu per nubes et irides ferri, lucida elegantissimorum colorum specie vndiquaque obuersante oculis nostris. Appulsi domum, et coenae, quae nos exspectauerat, accumbere iussi, quidquid quisque ante se inuenit, capimus appetitu lupino, et ciborum qualicunque sapore ita oblectamur, ut cum diis ipsis coenare nobis videremur. Postridie, discussis somno vaporibus, in statum suum restituta est ratio, et optime habuimus, etc.*

§. XXIV.

Non minus post *relaxationem* partium mutationes in corpore obseruamus: etenim si partes demulcentur, actio *tonica* vel imminuitur, vel omittitur; quia hoc modo partes sibi magis relinquuntur, ut leuior diacrisis fibrarum fieri possit. Ipsam sensationem autem sequitur remissio aut omissio motu-



motuum, et hoc modo operantur *temperantia*, *anodyna* et *narcotica*. Haec enim blando principio sensum, vt ita loquar, quietis imprimunt, quem presso pede sequitur motuum *temperatio*, et ingrata sensatione efficiunt, vt ex taedio motus plane omittantur. *Sedatiua* enim remedia, praeter alia principia, praedominante sulphureo vaporoso et auerso gaudent, quod facillime olfactu sese prodit; arque hoc sulphureum principium non modo intime per humores se expandit et expansionibus humorum et turgefactionibus ansam praebet, sed et sensibilibus neruosis partibus perquam auersum et taediosum est: vti enim auersum est in externis organis, sic eo magis in internis deprehenditur. Hoc modo *opium*, ad duo grana datum, dolores omnes, licet totum corpus occupent, ad tempus solet sedare; ita *oleum animale* DIPPELII, proxime ante insultum epilepticum datum, omnem agendi ideam aufert, et sic non raro epilepsiam tollit. *Conf. Illustris MICHAELIS ALBERTI disquisitio medica de medicamentorum modo operandi in corpore viuo pag. 226.*

§. XXV.

Quum de *sensatione* disputauimus, merito momentorum nonnullorum adhuc mentionem facimus. *Primo* certas quasdam corporis partes sensibiliores esse ceteris. Diuina enim prudentia voluit filamenta neruosa sensibilia et numerosiora deponere in illa loca, quae iniuriis exponuntur: internae partes vero minori sensibilitate, quam cutis, vt plurimum pollent, et tamen inter has maiorem iterum sensibilitatem primae viae habent. Haec causa erit, ob quam medicamenta in hac vel illa parte maiorem exerunt efficaciam. *Deinde* hic quoque annoramus, naturam adeo aduescere sensationi, vt illam vel plane non in posterum

D

atten-



attendat. Vnde optime explicare potuero, qui fiat, ut nonnulla medicamenta frequenter adhibita ordinariam suam operationem non exhibeant, quaeque res saepe eo procedit, ut homines sine quodam consueto pharmaco vivere vix queant, e. g. laudano, sine quo deinde neque dormire, neque negotiis vacare possunt. Denique per sensationem quoque agere videntur illa medicamenta, quae per saltum operantur: tunc enim natura cum sensatione per ideam aliam vel praesentem, vel praeteritam corporis partem coniungit: ita sensationem adstrictoriam ex duobus granis croci martis cum sensatione in pulmonibus sub haemorrhagia contingente combinat, quare statim, medicamento vix in ventriculum accessu, motus constrictorius in pulmonibus sequitur. Non minus ita agunt cantharides ore sumtae, dum statim ardorem urinae et mictum cruentum producant: cognita enim sensatione stimulante, motum versus vias urinarias dirigit, quia forsitan in hoc organo alias plurimi obveniunt stimuli salini. Neque plane dissimili modo topica purgantia regioni umbilicali applicata agere videntur.

## §. XXVI.

Explicatis itaque principiis ad modum operandi medicamentorum intelligendum, sollicitè monemus, quod, si quis operationem alicuius medicamenti ex his principiis explicare vellet, necessario debeat ad singula principia respicere, admodum enim inter se concurrunt. Immo cognita operatione alicuius medicamenti, in fluidis partibus attendendum simul erit ad mutationem relationem in solidis partibus, et sic in vicem versam; ita in-

cras-



crassantia fiunt anodyna, et anodyna incrassantia. Quod si autem praeterea diuersas operationes in diuersis subiectis obseruamus, tunc omnino differentia subiectorum et accessus rerum non naturalium in censum veniunt. Neminem autem fugit, homines pro aetate, sexu, temperamentis et sensibilitate differentes diuerso modo pharmaca recipere; nec non frigus, calorem, ventriculum materiis impletum vel non, motum corporis operationem medicaminum arcerere vel impedire. *Conf. Dn. PRAESES in Therap. gen. p. 358. n. 5 6. 7.* Minima enim circumstantia variat rem. Non nihil forsitan etiam hic facit influxus lunae; multum autem vitae conditio, quod exemplo hemiplecticorum videmus, qui vsu balneorum restituntur. Constans etenim docet obseruatio, non brachium et pedem simul, sed successiue, in diuitibus quidem brachium, in pauperibus autem, vtpote famulitiis priuatis pedem prius restitui, licet vtraque laesa pars eidem remedio eodem tempore immergatur.

T A N T V M.





V I R O  
IUVENI PRAECLARO ET EGREGIE DOCTO  
DOMINO CANDIDATO  
GOTTHILF PETRO AVGVSTO LYSTHENIO  
MVL TAM PRECATVR FELICITATEM  
P R A E S E S.

**Q**uamquam vix respirandi tempus mihi iam superfit, nolo tamen iis abesse, qui, CANDIDATE doctissime, TIBI gratulantur. Auspicatum vitae academicae colophonem, diffracto et superato cortice, nunc demum imponis, et quidem per tale dissertationis argumentum, quod in schola medica multam considerationem sibi vindicavit. Multa hic dicuntur, plurima finguntur, pauca peruidentur et re vera probantur: quare bene fecisti, qui fonticam hanc doctrinam incudi legitimae, scilicet physico-chemico-medicae reddere voluisti. Propius autem ad scopum meum accedo: habui TE, clarissime CANDIDATE, per plures annos auditorem, cum perpetua bonestate et eximia industria ornatum: quo longo quoque tempore nobis consuetudo intercessit, quae ad commune studium practicum nos coniunxit. Quare non possum, quin TIBI gratuler magnopere hunc diem, quo laurea doctorali coronaris. Deum, qui omnis salutis ac felicitatis fons est, demisse



*demisse precor, ut auspiciis suis prospera omnia reddat,  
quæcumque in artis salutaris exercitio conaberis. Ad  
me quod attinet, sincera mente id præstare in me recipio,  
quidquid amicitia nostra futuro tempore quocumque in ca-  
su postulat. Vale d. d. X. Aprilis MDCCLVI.*

---

PRAENOBILISSIMO ATQVE EXIMIE DOCTO  
DOMINO CANDIDATO

S. D. P.

D. PHILIPPVS ADOLPHVS BOEHMER.

**N**ullo in mendacio, iuxta PLINIVM, maius esse vi-  
detur periculum, quam in medico. Hoc ipsum se  
se potissimum exerit in magnificis medicamentorum  
laudibus, et decantata eorundem omnibus fere in morbis  
præstantia. Pauca sane supersunt, quæ fideæ efficacis;  
plurima vero infida, suspecta, fallacia. Quo magis vero  
dolendum, ab accumulata remediorum farragine, artem  
opprimi salutarem: eo magis opera nauanda, ut in aegro-  
tantium salutem, et præceos rationalis ac efficaci incre-  
mentum, ad exquisitam selectorum perueniatur notitiam,  
et genuina, quoad eorum modum operandi, eruantur

D 3

prin-



principia. Nolo iam causas perniciosae medicamentorum ignorantiae, quoad veras suas facultates disquirere; id saltem moneo, in explorandis eorum viribus circumspecta opus esse observatione, cum pro ratione individui, eiusdem morbi, ac aliarum circumstantiarum diuersa esse soleat medicamentorum operatio et receptiuitas, imo determinato opus sit tempore, in quo remediorum effectus et perfici possint, et cognosci. Hinc inter alia CELSI notandum praeceptum: Non statim condemnetur, si quid non statim profuit; minus vero remoueatur, si quid paulum saltem iuuat, quia profectus tempore expletur. Bene igitur fecisti, quod speciminis inauguralis loco, fructuosum omnino pertractandum elegeris thema. Ipsum enim, quamuis a plurimis iam sit pertractatum, minime tamen exhauriri potest. Mirifice autem delector, quod nunc publicam eruditionis, hac in musarum sede acquisitae, edas testimonium. Iure Te inter illos refero, qui et probitate sese commendarunt, et indefessam in addiscendis optimis scientiis impenderunt operam. Gratulor itaque TIBI summos in arte medica hodierna luce conferendos honores Doctores, atque, ut summum Numen fausta quaerens atque fortunata TIBI in posterum euenire iubeat, ex animo adprecor. Vale. Dab. Halae Magdeburgicae d. XII. April. clj lcc LVI.

PRAE-



PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMOQVE  
SVMORVM IN MEDICINA HONORVM  
CANDIDATO

S. P. D.

PETRVS IMMANVEL HARTMANN,  
MEDICINAE DOCTOR, ACADEMIAEQVE CAESARAEAE  
NATVRAE CVRIOSORVM SODALIS.

**E**go vero quotiescunque veteris illius recordor amicitiae, quae mihi TECUM fuit: toties adspicere atque admirari adhuc mihi videor, quem cognoui olim saepius, et laudavi, et mecum tacite sum admiratus, incredibilem illum atque indefessum in litteris, tam ad humanitatem, quam ad salutarem scientiam pertinentibus, proficiendi ardorem, et insatiabile veri cognoscendi studium, quo innumeratas, ne dicam infinitas difficultates asperitatesque, TIBI olim in communis nostrae scientiae stadio apud nos decurrenti obiectas, fortiter atque animose TE superuasisse, mecum omnes fere boni norunt. Atque ita factum quoque est, ut, Hala nostra digressus, neque infeliciter res tuas gereres, neque sine nominis TVI gloria, et TVO aliorumque emolumento amplam prosperamque plurimis aegrotantibus faceres medicinam. Ita etiam, summis, quos eximie eminenterque promereris, salutaris artis honoribus auctus, delectam habitationis sedem alteramque patriam laetissimo reuises sidere, maturis TVIS laboribus dignissima praemia daturam. Hac ratione prosperrime valet, neque simul hominem habeto TVI amantissimum, nec ad qualecunque officiorum genus unquam imparatum. Scrib. Halae Magdeburgicae, V. Iduum Aprilis, A. R. S. c10 10 CC LVI.

PRAE.



PRAENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO  
CANDIDATO  
AMICO SVO SVAVISSIMO


S. D. P.

I. W. DREYSIG

MED. C. OPPONENS.

Quam primum in consuetudinem TVAM mihi venire contigit, statim TVAM, AMICE SVAVISSIME, intuitus sum animi integritatem. Propiore vero inter nos, postea contubernales factus, necessitudine intercedente non tantum ante dictam mentis TVAE sinceritatem, sed et eximiam in addiscendis artibus et scientiis vidi et admiratus sum solertiam. Cuius non est, cur TIBI affigam testimonium, cum indefessi, quos animo semper intrepido subiisti, labores, eiusdem testes fuerint apertissimi. Verum enim vero, quam iucundum ac dulce TIBI iam erit meminisse laborum! quibus condignos hodie impetrandos TIBI honores concilias Doctorales. Erubescerem igitur, si TECUM hodie merito laetante non laetarer, ac de studiorum Tuorum cursu feliciter peracto non gratularer. Ex intimo TIBI igitur cordis affectu hodiernos, quibus ornaris, summor, in Medicina honores gratulor. Caeterum fida adiicio vota, ut omnia TVA, quae aggressurus es conamina, faustum sortiantur euentum, ut miseris solamini, aegrotis auxilio, pressisque refugio sis tutissimo. Ut denique amicitiae nostrae etiam absens haud viuas immemor, intime TE precor. Vale mibique faue. Dabam Halae d. X.

April. MD CCLVI.





Halle, Med. Diss. 1744-59  
VD 18

ULB Halle  
002 830 671

3




TA90C

Rebo









DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
 EXHIBENS  
**PRINCIPIA**  
 AD  
**MODVM OPERANDI**  
 MEDICAMENTORVM INTELLIGENDVM,

QVAM  
 FAVENTE DEO  
 CONSENTIENTE FACVLTATE MEDICA  
 PRAESIDE

VIRO MAGNIFICO, ILLVSTRI, EXPERIENTISSIMO  
**DN. IOANNE IVNCKERO**  
 MEDICIN. PROF. PVBL. ORD. MEDICO PAEDAGOGII REGII  
 ET ORPHANOTROPHAEI HALENSIS CELEBERRIMO  
 H. T. FRIDERICIANAE PRORECTORE

**PRO DOCTORIS GRADV**  
 SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
 D. XII. APRIL. MDCCLVI.

PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISITIONI SVEMITTIT  
**OTTHILFF PETRVS AVGVSTVS LYSTHENIVS**  
 BVRGENSIS MAGDEVRGICVS.



HALAE MAGDEVRGICAE,  
 VPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR,

